



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pascvlo
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

Crombach, Hermann

Coloniæ, 1645

Leges Musaei in Collegio Suolgiano à Iacobo propositae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14591

10 Ideo p̄ij Sacerdotis:

lisse, quæ manu ciui exaratæ repertæ sunt
cum hac inscriptione:

LEGES MVSÆI IN COLLEGIO
Svvolgiano propositæ.

Epist. 49. [Temporis iacturâ nulla grauior; atque
eo magis indignor, inquit Seneca, aliquos
ex hoc tēpore (quod sufficere nec ad ne-
cessaria quidem potest, etiam si custodi-
tum diligentissimè fuerit) in superuacua
maiorē partem erogare; scilicet ars longa
est & vita breuis: ut ergo compendiosior
eruditionis via sit, diligens temporis cura
& custodia faciet, si nimirū statis diei horis
sua assignentur studia, & officia ea seduli-
tate peragenda, quasi à quolibet die, imò
qualibet diei hora fructus aliquis profe-
ctusq; foret exigendus. Proderit itaq; in-
frascriptū diei trāsigēdē modū obseruare.

I. Mane signo ab hebdomadario custo-
de dato, nemo auroram Musis amicam
inerti otio & torpore in plumis delitescēs
elabi patiatur, sed collectis quisque ne-
cessaria quiete viribus, stratum linquet,
& ad Musæum properabit, ibidem preces
Collegij p̄i & distincte, ut pareat, reci-
tandæ, sic diei pariter ac studij auspicio,

ab

ab invocatione diuini Numinis facta ad
sua quisq; studia serio ac sedulo tractan-
da sese accingent, ea continuantes quoad
usque pulsu Gymnafij ad scholasticas le-
ctiones conuocentur.

2. Finitis lectionibus, negotij si quid erit,
paucis expediendum; ab his ad resu-
menda in Musæo studia transiendum.
Atq; hic quidem quod reliquum est tem-
poris antemeridiani, partim auditæ lec-
tionis repetitioni, partim pomeridianæ
seu sequentis lectionis tractationi impens-
dendum. Idem finitis lectionibus pome-
ridianis obseruandum.

3. In ipso Musæo summoperè vitanda
frequens discursio & excursio, nisi quam
necessitas fecerit rationabilem. Ante om-
nia vero omnes in conditi clamores atque
rumultus, nuge & inimicæ gesticulationes,
inanæ verborū strepitus & intempestiuæ
fabulæ studiosè cauendæ: ne que enim de-
bet tempus silentij seu studijs destinatum
turpiter & inutiliter perdere. Si forsitan
oborta de dubio quodam literario disce-
ptatio, aut alia de studijs collatio, collo-
quium postulet, cauebitur, ne sermo al-
teri cuiquam studijs intento sit importu-
nior.

4. Vespere precibus horā statutā recitatis cubitum , singulise , qua pars est ratione & honestate, component. Nocturnas lucubrations, utpote corpori & literis inimicas , fugient. Quod si cuius forte studiendi cupiditas diurno labore non expleta, nocti & somno partem surripere suadeat, matutino id potius quam vespertino tempore faciendum ; nam aurora Musis amica.

His legibus diligenter omnes sese conformabunt, transgressorū namque siue negligentia siue contumacia , aut pecuniariā aut arbitrariā Superiorum pœnā mulctabitur. Verum Philosophos decet non tam vi legum & formidine , quam virtutis amore rectè facere. Hoc enim discrimen inter Philosophum & Vulgus agnouit Aristippus, quod Vulgus legum præscripto arceatur , Philosophus citra leges sponte rectè faciat.]

Ex his liquet , quem ille modum studiendi seruarit eo tempore, quamq; temporis duxerit accuratam rationem ; qua verò oratione præuiā sit usus postremis etiam annis vita libet adiucere.

ORA